

De Loco anteced. conseq. & concom. 635
supponit, ita ut nisi praecedat *juventus*,
esse non possit *senectus*; (β) antecedens
& consequens sumuntur ratione illatio-
nis, quâ ratione antecedens est id. ex
quò alterum infertur, consequens verò
quod infertur, e. g. in hac propositione,
Si homo est, animal est. antecedens est illa
propositio simplex, *homo est*; conse-
quens verò, *animal est.* Hòc locò agitur
de antecedente & consequente ratione
temporis.

3. Concomitans dicitur, quod cum re
simul est e. g. *debilitas respectu morbi.*

4. Ex loco antecedentium & conse-
quentium seqq. argumenta peti solent.

I. Positò consequente, ponitur vel fuit an-
tecedens, e. g. *Positò senectute, necesse est fu-*
isse juventutem vel pueritiam, unde rectè
colligitur: *hic est Senex. E. fuit puer vel*
juvenis.

II. Remotò antecedente removetur con-
sequens, e. g. *si non fuit juvenis, non est*
senex.

5. Hæc axiomata non adversantur
doctrinæ de syllogismis conditionalibus,
ubi docetur, quod positò antecedente
ponatur consequens, & remotò con-
sequente, removeatur antecedens. In
syllogismis enim conditionalibus ser-
mo est de antecedente & consequente